



o. ²⁸/₁₀₀₈
1773 5

ORDINIS IVRIDICI

I N

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

GEORGIVS FRIDERICVS

K R A V S D

CODICIS PROFESSOR PVBLICVS CVRIAE PRO

VINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCA

BINATVS AC FACVLTATIS IVRIDICAE

ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S

ORDINIS IUDICIALIS
ACADEMIAE VITTEBERGENSIS
FREDERICVS
D. 1754
IUDICIS PRAESIDENTIS
ACADEMIAE VITTEBERGENSIS
ASSessor
RECTORI ACADEMIAE





VTRVM PRIVILEGIUM TESTAMENTA-
RIVM MILITVM EORVM VXORIBVS
SIT COMMVNE?

DISQVISITIO.

Non immerito leges ad communionem iurium, ali-
quando etiam singularium ac privilegiorum, qui-
bus mariti fruuntur, eorundem admittunt solent
vxores, ^{a)} utpote quae legitimo connubio iunctae indiuiduum
vitae consortium contraxerunt cum maritis suis, ac diuini
humaniq; iuris communicationem impetrauerunt ^{b)}. Qua-
propter frui eas maritorum claritate, eorundemque radiis
a 2 coruscare

^{a)} vid. ENENCKEL *de privilegiis Lib. II. cap. IV. §. VIII.*

^{b)} *L. I. D. de ritu nupt.*





coruscare dixit IVSTINIANVS ^{c)}, quemadmodum Imperatores quoque VALENTIANVS THEODOSIVS et ARCADIVS sic rescripserunt ^{d)}: *Mulieres honore maritorum erigimus, et genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus* ^{e)}. Speciatim vero militum quaedam priuilegia ad eorum vxores quoque extensa esse, ex titulo Codicis *de vxor. milit.* intelligitur, vbi ALEXANDER Imperator ^{f)} iis, si cum maritis reipublicae causa peregrinatae sint, *ad exemplum militum* subuenire iussit, si temporalibus forte actionibus fuerint exclusae. Similiter DIOCLETIANVS, et MAXIMIANVS, ^{g)} ei, quae cum marito, operam dante militiae, diutissime absens fuit, ne longi temporis quidem praescriptionem officere voluerunt. ^{h)} Cum igitur in singulis militum iuribus praecipuum quendam locum sibi vindicet priuilegiarius testandi modus eorum, in quos, vt VLPIANVS ⁱ⁾ ait, plenissimam contulerunt indulgentiam imperatores romani, ita, vt quoquo modo testati fuerint mili-

tes

c) NOVELLA CV. c. 2.

d) L. ult. C. de incolis.

e) add. L. 8. D. de senator. L. 4. §. 1. D. de usu et hab. L. 6. C. de Profess. et Medic. et ad h. l. BRUNNEMANNVS.

f) L. I. C. de vxor. mil.

g) L. 2. C. cod.

h) conf. STOECKENII *diss. de vxoribus militum*, hab. Argent. ao. 1678.

i) L. I. D. de testam. militis.



tes, rata esse debeat ipsorum voluntas, ac testamenta illis facere liceat, quomodo velint, ac possint: sponte sua exinde subnafcitur quaestio: num militum vxoribus, peraeque ac maritis, priuilegiato isthoc modo testandi competat facultas? Aientem sententiam nostrâs quondam LEYSERVS ^{h)} defendendam censuit, nullis tamen additis rationibus, praeterquam, quod ad argumentum supra citatae legis i C. de vxoribus militum prouocet, in quo autem Alexandri rescripto nihil de testamento, verum, quod antea dictum, saltem de restitutione in integrum propter absentiam reipublicae causa, ad exemplum militum, eorum quoque vxoribus haud deneganda, agitur. At copiosius istud argumentum de minus solenni testamento illarum vxorum tractauit Iurisconsultus quondam Tubingensis, FERDINANDVS CHRISTOPHORVS HARPRECHTVS, ^{l)} cui tamen non opus esse visum fuit, vt vxori militis ius priuilegiario more testandi, ex statu et consortio eius coniugali, vi cuius ea regulariter priuilegiis marito competentibus potiri debeat, vindicetur, cum illi, si maritum comiteretur, et in hostico sit constituta, absque solemnitatibus testari, eodem iure, permillum esse debeat, quo Romani Imperatores, VLPIANO

a 3

teste,

h) in *Medit. ad Pand. Spec. CCCLXVI. coroll. 2.*

l) in *disput. de testamento paganâ in hostico condito, §. XXXIX. seqq.* hab. Tubingae, ann. 1682.






teste, ^{m)} priuilegium militum testamentarium ad omnes
 omnino, qui, licet ipsi eius sint conditionis, vt iure militari
 testari non possint, liberaliter transtulerunt, ita, vt his, si in
 hostico deprehendantur, et illic decedant, perinde, vt mi-
 litibus, quomodo velint et possint, liceat testari. Quare
 Harprechtus in hoc praecipue suam collocauit industriam,
 vt euelleret dubia, quae videri poterant obstare, quo minus
 hocce priuilegium imperatorum paganis in hostico indul-
 tum, ad vxores etiam militum sit trahendum. Quamuis au-
 tem hic non omnino intercedendum esse existimem, quin
 eatenus potius merito adstipuler Harprechto, quod vxor
 militis in hostico constituta, non debeat excludi ab isto pa-
 ganis concessio beneficio: in hoc tamen illi non assentior,
 quod eapropter non opus esse, adeoque inutile ac superua-
 caneum ipsi videtur, disquirere, vtrum mariti militis priui-
 legium minus solemniter testandi, vxori, coniugalis confor-
 tii iure, queat vindicari. Etenim latius omnino patet pri-
 uilegium testamentarium ipsorum militum, quam eorum,
 quos dixi, paganorum. Id quod cum ipse haud diffitetur
 Harprechtus ⁿ⁾, tum res ipsa loquitur. Vt enim paga-
 nus militari possit testari more, rescripta principum, teste

VLPIANO

^{m)} *L. ult. D. de testam. militis*, et *L. vn. D. de bonor. poss. ex testam. mil.*

ⁿ⁾ *in §. LXXIV. cit. dissertat.*




 VLPIANO ^{o)}, non modo requirunt, vt is in hostico d-
 prendatur, verum etiam, vt illic decedat. Igitur ex his al-
 terutrum si deficiat, nullus priuilegio locus erit. Ate con-
 trario militi non tantum in hostico, sed generatim, siue in
 acie, siue in castris sit ^{p)}, quamuis non in hybernis, prout
 CVIACIVS ^{q)} voluit, absque solemnitatibus testamentum fa-
 cere permittunt iura romana, imo germanica quoque, prae-
 terquam, quod Imperator MAXIMILIANVS ^{r)} militem non
 in acie, sed in castris testaturum, duos adhibere testes iusse-
 rit. Praeterea nec opus est, vt decedat miles in expedi-
 tione, verum valer eius minus solemnis voluntas vltima,
 quamdiu miles manet, imo post honestam vel causariam mis-
 sionem, adhuc intra annum ^{s)}. Plura iura adhuc singularia
 milicibus, etiam tunc si non militari, sed communi iure testan-
 tur, indulta esse constat, veluti, ius praetereundi liberos,
 quos quippe de inofficioso testamento militis, vel *iure mi-*
litari, vel *ciuili* facto, queri posse, abscessisse negat ALE-
 XANDER

o) in cit. *L. ult. D. de testam. mil.* et *L. vn. D. de bonor. poss. ex testam. mil.*

p) §. 3. *I. de milit. testam.*

q) in *Consultat. XLIX.*

r) in *Constitut. de anno c1o 1o XII. von Testamenten, §. und sollen cet.*

s) *L. 26. D. de testament. milit.*



XANDER Imperator ^{t)}. Quid ergo dicemus? Num horum singularium iurium mariti militis participem iudicabimus vxorem, ita, vt ea, tamen nec in hostico deprehendatur, nec illinc decedat, sed in castris forte penes maritum suum commoretur, militari more testari queat? An hocce testamentum eius valebit, quamdiu maritus miles manet, et per annum adhuc post missionem? An praeterire illa liberos poterit, etiamsi non militari, sed ciuili iure testetur? et quae plures ea de re moueri possunt quaeſtiones. Mihi quidem ita non videtur. Iura enim singularia, et priuilegia, ad exemplum trahere vetant leges nostrae ^{u)}; et cum istiusmodi leges priuae contra rationem iuris communis sint introductae, eae monente PAVLO ^{v)}, non debent produci ad consequentias, nec interpretationi extensiuae in iis facile locus est, nisi eandem ipsa legislatoris suggerat voluntas, cuius quippe, prout Neratius, teste CELSO ^{w)}, respondit, ipsius est aestimatio, quem modum sui beneficii esse velit. Proinde ad vxores militum, quae maritos reipublicae causa absentes comitatae sunt, merito quidem extenditur beneficium restitutionis in integrum, cum Imperatores

t) L. 9. de inoffic. testam.

u) §. 6. I. de iur. nat. gent. et ciuili.

v) L. 14. et 16. D. de legibus.

w) L. 191. D. de regul. iur.

peratores ALEXANDER, DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, *) eas ad exemplum militum restitui iusserint; Quod autem vxores militum iisdem cum maritis frui priuilegiis testandi debeant, luculentum voluntatis legislatorum indicium in iure nostro deficit. Quod si etiam sententiae HERNECCII y) subscribere velimus, qui in priuilegiis interpretationi extensiuae tunc locum facit, si ratio iuris haud refragetur: vix tamen id praestari poterit, vt eandem prorsus priuilegii militaris testamentarii rationem in vltimis vxorum voluntatibus subesse credamus. Neque enim, prout recte monet VINNIVS, z) vnica, nec etiam praecipua istius priuilegii militum causa est, quam suppeditauit TRIBONIANVS, a) et quae passim quoque in mandatis ac rescriptis principum b) memoratur, diligentem scilicet obseruationem in ordinandis testamentis militibus propter nimiam eorum impericiam constitutionibus principalibus esse remissam. Neque etiam altera, quam VLPIANVS c) suggerit, ratio, videlicet functio periculorum in expeditionibus

x) supr. cit. L. 1. et 2. C. de vxor. milit.

y) in Element. iur. civ. sec. ord. Pand. P. I. §. CXIX.

z) in commentar. ad princ. I. de militari testam.

a) in princ. I. de milit. testam.

b) vid. L. 1. D. de testam. mil. L. 3. C. eod.

c) L. vn. D. de honor. possess. ex testam. mil.



tionibus, pro vnica priuilegii militaris causa principali haberi poterit; Alias enim, cessante rursus causa ista, depulso scilicet periculo, et posteaquam miles reuersus, facultatem otiumque testandi secundum iuris communis regulas iterum nactus est, statim desinere deberet valere testamentum in acie castrisque militari conditum more; quemadmodum hoc ita iuris esse in testamentis paganorum, quae in hostico fecerunt, si illinc non deceffit testator, ex ipsis Vlpiani verbis intelligitur; At vero testamentum militis in expeditione minus solenniter factum, vim ac potestatem suam, quamdiu testator in militia permanet, imo post missionem honestam aut caussariam adhuc per annum retinere, iam supra monitum est. Vnde quidem facile colligi poterit, esse quoque non infimam iuris militum singularis causam istam, quam allegat AEMILIUS MACER, ^{d)} vt esset hoc praemii loco benemerentibus; imo generatim fauorem militiae in praecipuis priuilegii causis numerandum esse, vix dubitandum erit, cuius quippe contemplatione complura alia militibus concessa esse singularia, non incognitum, variisque a IOANNE VOETIO ^{e)} illustratum est exemplis; sicuti quoque non ineleganter conicit HEINECCIUS ^{f)}, quod,

d) in L. 26. §. I. D. de testam. mil.

e) in Commentar. ad Pandect. Lib. XXIX. Tit. I. §. 1.

f) in not. ad VINNII comment. Institut. pr. de milit. testam.





quod, cum istud priuilegium concessum sit ab eo tempore, quo iam mercenaria militia, loco selectae, inualuerat apud Romanos, vera priuilegii habenda sit causa, vt homines allicerentur ad militiam, et eo libentius nomina darent. Ita vero non eandem plane adesse rationem, vt priuilegium mariti militis testamentarium tuto ad vxorem eius trahi queat, vnusquisque facile intelliget. Etenim postremae istae causae cessant in vxoribus militum, quarum frequentia vltimum plus incommodi ac molestiae, quam vtilitatis afferre solet castris; Vnde etiam Romanos antiquis temporibus donec sensim feuerior disciplina militaris languere coepit, ne tolerasse quidem in castris vxores, HARPRECHTVS^{g)} variis hanc in rem congestis testimoniis veterum comprobauit. Valde quoque disparem mariti militis, eiusdemque vxoris, in subeundis expeditionum bellicarum periculis esse conditionem, palam est, cum istum quidem muneris militaris ratio, ac praestiti sacramenti religio, obliget, vt pro reipublicae salute cum hoste decerter, nec, si res postulet, vlla subterfugiat pericula: at ex aduerso vxorem eius nulla impellat necessitas, vt istiusmodi defungatur periculis, quae, si domi tibiisset manere, ipsi secure vitare licuisset.

b 2

Sed

g) *supra cit. dissert. §. 42. seq.*



Sed plura addere iam non vacat; quin potius honori
 PRAESTANTISSIMI CANDIDATI, FRIDERICI GOTTL-
 LOB PERETSCHNERI *Dresdensis, Aduocati et Notarii*
publ. Caesar. immatric. insertiendum, qui, posteaquam iam
 ante hos annos vndecim, instituto cum eo examine, ab or-
 dine nostro *dignissimus* iudicatus fuit, qui in Candidatorum
 iuris numerum reciperetur, ac nuper etiam in altero, quod
 rigorosum vocari solet, examine, iurium scientiam suam Or-
 dini nostro denuo comprobauit, nunc in hoc est, vt prope-
 diem dissertationem inauguralem e publica defendat cathe-
 dra. Qua vero is viuendi studiorumque tractandorum
 laudabili ratione fuerit vsus, ipse hunc descripsit in modum:

Ego, FRIDERICVS GOTTLÖB PERETSCHNER, natus sum
Dresdae, die XXVIII. mensis Maii, anno MDCCXXXVI.
et patrem habui IOHANNEM CHRISTOPHORVM PERETSCH-
NERVM, ICtm, Potentissimo Poloniarum Regi et Electori Saxoniae
FRIDERICO AVGVSTO III. gloriosissimae memoriae,
quondam a consilijs aulae et Iustitiae nec non accisarum generalium,
et matrem CHRISTIANAM HEDWIG, natam BESTELIAM. Mi-
rifice adhuc gaudeo, quantum optimi parentes, quos praematura morte
mihî ereptos esse, lugeo, dolenterque desidero, de salute meâ promouen-
da semper solliciti fuerunt, quod gratissima mente agnosco et profi-
teor



teor. Primo enim ac per aetatem licuit, disciplinae doctrinaeque
praeceptorum domi traditus et demandatus fui. Deinde crescente
aetate, anno huius seculi LI. in Afraneum, scholam Electoralem, quae
Mysniae floret, receptus, ibique per sexennium nutritus, et a prae-
stantissimis Viris in iis scientiis, quibus iuuenilis aetas formari ac in-
stitui debet, instructus, et ad altioris doctrinae scientiam praeparatus,
effluxo sexennio Wittenbergam me contuli, dieque V. Maii
CXCIDCCLVIII. Rectore Magnifico, Viro Praestantissimo, CAROLO
GOTTLIEB SPERBACHIO, linguarum orientalium Professore publi-
co ordinario, civium academicorum numero adscriptus sum. Acade-
miam vix ingressus, patre et nutritore optimo, et paulo post matre
dilectissima sum orbatus. Attamen cura, gratia et beneficentia Viri
Perillustri et Excellentissimi, Domini IOHANNIS GOTTFELF A GLOBIG,
Dynastae in Gießenstein, Serenissimi Ele-
ctoris Saxoniae Consilarii actualis intimi, nec non in Senatu Summo
Ecclesiastico Praesidis Eminentissimi, qui singulari amore non solum
ipse praestantiora literarum studia, arduis licet negotiis distentus,
prosequitur, verum etiam humanitatis scientiarumque cultores dignari
solet, cuius vero laudes egregias percensere, et laudando suam aucu-
pari gratiam, animus non est; Summi inquam huius Maecenatis cura
et gratia, praeter omnem expectationem factum est, ut largis stipen-
diis ornatus, per quadriennium Deo, fauente, studia commode prosequi
possem. Hinc liceat gratiam tanti Patroni, qua indies me cumulat,





publice testari, et grati animi edere monumentum. Tantis beneficiis obrutus, iis doctrinis, quae fundamenti loco ponuntur, sum initiatus. Quem in finem Excellentissimum HILLERVM, cuius singularem erga me benevolentiam publice profiteor, et gratissima mente semper recordabor, in studio philosophico ducem habui, eiusque tam publicis, quam priuatis praelectionibus, sedulo et diligenter interfui. In Mathematicis et Physicis Celeberrimi BOSII b. m. et TITII praelectiones audiui. In Historia Imperii Germanici Illustrem RITTERVM, cuius comitatem insignem publice depraedico, et in statuum Imperii notitia WALTHERVM b. m. praeceptores habui. In addiscenda Iuriprudentia ciuili, feudali et criminali Viros Illustres et Consultißimos, RIVINVM, HANACCIVM, CHLADENIVM, KRAVSIVM et FISCHERVM, Viros laude mea longe maiores, duces scientißimos aequae ac fideißimos nactus sum, quos, dum in viuis ero, omni qua par est, religione uenerabor. His doctrinis medio in armorum strepitu absolutis, in Academia Wittenbergensi coram inchyto ICiorum ordine examen subii, et locum inter Iuris Candidatos die XXIX. Aprilis anno MDCCCLXII. obtinui. Paulo post Dresdam reuersus, speciali Rescripto, edito specimine, praestitoque iuramento, causas in foro tractandi, facultas mihi data est. Cum autem in his castris sine duce militare non ausus sim, ductu Virorum ICißimorum REINHOLDI, iam Serenissimi Electoris Saxoniae Consilarii aulici, et praesefecturae Dresdensi summi Praesedi, nec non FLEISCHERI, Serenissi. Elect. Sax.



Sax. a reatibus Steueralibus Procuratoris, et nunc Consulis Dresdensis, quorum comitatem insignem et benevolentiam gratissima mente deueneror, tam in praxi quam re iudiciaria, magna sollicitudine edoctus sum, usquedum certamina proprio ausu suscipere, et negotiis forensibus me totum traderem. Tam amicorum consilio e re mea esse uidetur, ut summos in utroque iure honores adipiscar. Quod ut ex voto eueniat, faxit Deus feliciter.

Habebit autem Candidatus hicce noster nobilissimus dissertationem suam inauguralem, qua disquirat, *quemadmodum militi succedatur*, die III. Non. Decembr. sub Praesidio Viri illustris ac Excellentissimi FRIDERICI AVGVSTI FISCHERI, *utriusque iuris Doctoris, Serenissimo Principi Electori Saxoniae a consiliis prouocationum, Digesti infortiati et noni Professoris publici ordinarii, curiae prouincialis, Scabinatus, ac Facultatis iuridicae Assessoris, Collegae mei omni obseruantia colendi.* Quem actum solemnem, VI RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, ACADEMIAE PROCERES ATQVE FAVTORES, itemque GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI CIVES literariae nostrae reipublicae, honorifica praesentia sua condecorare, illustrioremque reddere velint, cum Ordinis,





dinis, tum meo, Candidatiquae nomine, qua decet obser-
 vantia, rogo, simul ad omnia officiorum genera promptum
 me paratumque obstringens. Dabam d. V. Kalendar. De-
 cembris A. R. G. CIO ICCC LXXIII.

V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII


ACADEMIAE A TYPIS.



Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35





Farbkarte #13

B.I.G.

28
1008
1773 5

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
GEORGIVS FRIDERICVS
KRAVS D
CODICIS PROFESSOR PVBLICVS CVRIAE PRO
VINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCA
BINATVS AC FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO

S